

Stelzer. De

Juribus armatis

1792.






67.

Stelzer,  
Commentatio de funibus an  
1792.

Kp 4480





F

L

K

CHRIST. IVL. LVDOV. STELZERI

ICTI HALENSIS

COMMENTATIO

D E

FVRIBVS ARMATIS.



19108.35

---

H A L A E

LITTERIS FRIDER. WILH. HYNDTIL.

1792.

Kp. 4480

L  
dig  
cui  
ran  
fos  
recl  
teri  
turm

que  
eo p  
me  
que  
fure  
vt r  
gald  
ertsi  
senf  
Sp.  
to a  
furt  
art.  
riun  
Jena  
bim  
iura



---

§. 1.

**L**oci de furum armis, cum ab eius decisione saepissime mors ac vita hominis dependeat, in iure dignitatem et prima de furro doctrinae principia et cuiuslibet paene fori annales docent. Arma enim furando delinquentium in iure peruvarios atque diuersos habent effectus, et iurium applicationem iustam ac rectam tanta implicant difficultate, ut, hanc iuris materiam tractaturus, rem omnino inutilem me praestitutum non suspicer.

§. 2.

*Furem vero armatum appellamus, qui actum quemdam, ad furti perpetrationem pertinentem vel ab eo pendente, armis instructus noxiis peregit. Minime enim omnia, quae numerantur inter arma, quaeque hominem faciunt armatum, mea ex opinione, furem efficiunt armatum. Vitae aut sanitati hominis ut noxia sint arma, oportet. Ergo nec clypeus, nec galea, nec alia, quae tutelae sunt et alteri innoxia, et si armorum communi nomine dici soleant, ad furem, sensu iuridico, armandum sufficiunt.* Conf. LEYSER Sp. 536. m. 17. seq. Jo. Casp. HEIMBURG diss. de furto armato, Jenae 1761. Jo. Ferd. HOMMEL diss. de furto qualificato, Lips. 1759. §. 13. BOEHMER ad art. 159. C. C. §. 6. Car. Frid. WALCHIT Glossarium germanicum, interpretationi C. C. C. inferuiens, Jenae 1790; verbo: *Waffen*. Et pluribus infra dabitimus, quae de furibus armatis grauius plectendis iura nostra statuunt, ex odio auctae per arma malefici

A

et

et audaciae et nocendi facultatis procedere. Ideo rei arte factae, quamvis vel maxime artificialis eius conditio sit destructa, vt modo ordinario atque ab artifice destinato ea vti nequeas amplius, e. g. gladio rubigine obducto, flintae glande non oneratae seu claustro carenti, furem armandi vim attribuo, cum vi a fure facienda, pulsando vel verberando etc. idonea maneat. Mecum sentit HOMMELIUS in diss. all. l. c.: KRESSIUS autem ad art. 159. C. C. §. 2. nr. 2, nulla adiecta ratione, meis decepsit partibus. Et usum fori, mea probantis, firmat sententia, a summo criminali iudicio Borussico, contra Laurentium Wieczoreck d. 23. Mai. 1789. lata, quam Vir Perillustris Ernest. Ferd. KLEIN Part. 4. pag. 74. der Annalen der Gesetzgebung exhibet. Hinc de fure armato quaestionis princeps caput circa armorum indolem et figuram noxiā versari debere videmus.

### §. 3.

Cum quaelibet res, cui nocendi inest homini virtus, a fure male usurpata, nequaquam, vt furem insensu iuris armatum conspiciamus, efficiat; vim vitae aut sanitati hominum nocendi, auctoritate moti Art. 159. C. C. requirimus in armis. Ergo instrumenta, modicae castigationi peragendae quae inserunt, vt virgae, flagella, bacilli, furem armatum non faciunt. Quae quidem res, quando male applicatae, aut crudelius, quam castigantis pietas permittit, vitae aut sanitati noceant, iure armorum quodammodo censiū queunt quidem; ipsa vero causa magis ex re et secundum sanam rationem erit definienda, cuius responsio semper in promtu, ita, vt res nulla fere unquam egeat disputatione; quam ex iure, exquisitoris disciplinae adparatum desiderante. Satis habeo monuisse, istis cum quasi - armis meum furem armatum nihil habere negotii.

### §. 4.

## §. 4.

De furibus armatis disputatio non facilem decisionem et ideo habet, quod leges, quae indicis religionem moderantur, non adeo aperte rem eloquentur, et interpretis acumen desiderant, qui vim nocendi armorum, armatum furem ostendenium, demonstrare gestiat. Audiamus primum legem generalem patriae, quae a CAROLO V. proposita, omnem neglexisse videtur discriminis indicem, soli iudicis arbitrio rem gravissimam relinquens. Nullaque lex est in enumerandis singulis armorum speciebus, quae vitae vel sanitati nocent. Art. 140. generaliter pronunciat: so eyner mit eynem tödlichen wassen oder weer überläuft ansicht oder schlecht vnd der benötigt kan füglich an sahrliechkeit oder verlezung seines leibs, lebens etc. et iterum art. 159: oder mit wassen, damit er jemand, der ihm widerstandt thun wolt, verlezen möcht. Eamdem rationem sequi videoas plurium Imperii S. R. Germanici territoriorum proprias leges. Quid? quod sint, quae de furto, quod armis interuenientibus perpetratum est, adeo silent, ut facile quis sibi persuadeat, legislatorem furis armatam conditionem curare nullisse iudicem poenam finientem. Cuius rei paratum dat exemplum lex prouincialis Magdeburgica, die Polizeyordnung de 1688, quodammodo correcta in Edicto de 7. Sept. 1700. p. 3. nr. 131. Corp. constit. Magdeb. Mylii.

## §. 5.

Romani arma letifera et sanitati noxia communi nomine *teli* indicabant. Vide, sis, Jo. Matth. GESNERE thesaur. nou. L. L. voce: *telum*, §. I. SALLUST. Jug. 43. 47. Cat. 42. 43. 51. 52. et LIVIUS dicit de securi, lib. I, 40: *relicto in vulnera telo*. Hanc potestatem cum telo communicavit ipse L. 54. §. 2. ff. de furtis, autor GAIUS, edictique prouincialis interpres, *furem interdiu deprehensem, aiens, non aliter occidere*

dere lex duodecim tabularum permisit, quam, si telo se defendat. Teli autem appellatione et ferrum et fustis et lapis et denique omne, quod nocendi causa habetur, significatur. Eandem interpretandi figuram sequitur idem in L. 233. §. 2. ff. de V. S. verbis: *Telum vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mititur: sed tunc omne significatur, quod mittitur manu.* Ita sequitur, ut et *lapis* et *lignum* et *ferrum* hoc nomine contineantur. Similem interpretationem vocis *armorum* sounent, §. 6. in fin. Instit. de Interdictis; l. 3. ff. de vi et vi armata; l. 9. 11. ad L. Jul. de vi publ. l. 41. de V. S.

### §. 6.

Itaque constat ex LL. mente, instrumentum, quod furem armatum reddit, ad necandum seu vulnerandum, quoad specificam formam destinatum, non requiri: sed eius ad occidendum et vulnerandum aptitudinem sufficere. Fustis enim, lapis et quodus lignum, de quibus LL. loquuntur allegatae, quae cuncta armorum appellatione vulgaris loquendi usus non complectitur, furem armatum faciunt, dum ad nocendum sunt apta, quod praeципue ex l. 54. §. 2. ff. de furis, verbis: *omne, quod nocendi causa habetur*, l. 9. ad L. 1. de vi publica: *sed etiam quid aliud, quod nocere potest*, et L. 11. h. t. telorum autem appellatione omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt, accipiuntur, adparet.

### §. 7.

Postea, de sufficientia armorum iudicaturos, de furis facultate et intentione, instrumento, quod armatus gerit, utendi, disquirere oportet. Homo enim agit, non instrumentum; et vis commouens, ex qua effectus instrumenti noxii oriuntur, penes eum est, qui instrumentum mittit. Facultas subiectiva insufficientis seu vere deficiens iudicatur ex imbecillitate corporis aut animi. Sic pueri, fortitudine corporis ad

ad instrumentum noxium agitandum necessaria non-dum instruēti, pro furibus non habentur armatis, nisi ipsi animum armis vrendi, pro facultatis gradu, et si fere nulla sit, affirment. Tunc enim prauitas interna imbecillitatem vincit externam, et de futuris delictis, ab ipsis perpetrandis, nobis ut caueamus, mihi auctor videtur ipse CAROLUS V. Imp. in C. C. art. 164. Imbecillitas animi et corporis fauet feminis, quae natura timidiores sunt, neque ferocia, impetu et armis ad nocendum proclives censemur, p̄eprimis corpore debiliores. Hanc *avangau* ipsa fouet iuris analogia ex art. 144. C. C. verbis: dann wiewol nit leichtlich ehn weib eyten man zu eyner entschuldigten notweer vr-sachen mag. Attrauen, auctore ipso Diuo Imperatore, exploratione adhuc opus est, anne in accidentibus rei quid computationem iuris fulciat et sustineat? Sic omnino maxima animi saeuitia, quae sequiori sexui, secundum naturam, familiaris non est, si coniuncta in femina inueniatur cum corporis proceritate et fortitudine, oppugnante ex altera parte masculum cum corporis infirmitate, tum animi mollitie debilem, in furto feminam reddit plene armatam. Neque ipsa fana ratio intercedit. Vid. Ernest. Jo. Frid. MANZEL, in diff. de fure semina, Rost. 1745. §. 8. qui hanc rem plenius persequitur.

### §. 8.

Intentionis furis, armis, quae portat, in detrimentum alterius, in quolibet casu, vrendi, adesse oportet certitudinem, seu saltem verisimilitudinem. Me tacente tamen de eo constabit cuiuslibet, quod ex armis comportatis tam diu iusta præsumtio de intenta a fure noxa oriatur, quamdiu maleficus non probauerit contrarium, i. e. intentionis nocendi absentiam. Errant adeo, qui de nocendi animo non opus esse inquirere affirment, ex quibus Jo. Casp. HEIMBURGIUS, diff. all. §. 39, mihi temere occurrit. Jus et huma-nitas

nitas exigunt ab inquirentis officio iudicis, ut aequa  
quaerat de iis, quae condemnationem rei muniunt,  
ac iis, quae iustam excusationem procreant. In in-  
uestiganda avinati intentione nocendi omnem ut index  
consumat operam, eo magis necessarium putatur, cum  
intentio furis ad corpus delicti conficiendum plane re-  
quiratur, quod HEIMBURGIUS ipse concedit et inde  
grauius contradicens peccat. Istud quidem pro-  
bandi onus, potest, vel maxime reo omnibus forte  
testibus cuiusvisque generis testimonialis destituto, esse  
admodum graue, nisi probationem artificialem index  
admittat, cui adhuc diuia Themis benignissima, per-  
aeque tormentis reprobatis, portas patefecit iudicia-  
rias de excusationibus quaerenti. De artificiali pro-  
batione autem praemittere placet, quae intentionis  
nocendi prae sumptionem ex armis, quae habuit furtum  
vel faciens vel tentans, profluentem aut minuunt,  
aut omnino excludunt. Dixi regulam, ex armis,  
quae fur gessit, prae sumptionem intentionis nocendi  
otiri; nulla tamen cum regula sine exceptione sit,  
eius exceptionis exemplum in nostro loco habebis.  
Regulae auctoritas in eo posita videtur, quod arma,  
quae attulit furtum facturus, impedimenta haud  
leuia adferant. Cum homo vero suae intentioni exse-  
quendae impedimenta ponere non soleat, necessaria  
erit iudicis conclusio, citra animum nocendi armorum  
ad terendorum furem nullam habuisse rationem. Justa  
videtur obiter insipienti rem ista concludendi ratio.  
Concedo; sed quid, si fur consuetudine aut viuendi  
suo genere coactus, arma portet, armatusque  
incedere solitus sit? Pone militem, in rei militaris di-  
sciplina armatum, aut laniatem, ob artis laniariae  
exercitium sica, cultro aut securi instructum, vel  
rusticum, et quemcunque alium inferioris condi-  
tionis hominem, ex suae conditionis consuetudine  
omnibus nota, cultrum plicatilem pera portan-  
tem,

tem, fecisse furtum? Quamvis huius generis fures quisquis forte ex populo, nemo tamen ICrorum armatos iure dixerit. Hinc iudex de fure, qui in armis furtum fecit, sententiam prolaturus, videat de modo, quem in furto faciendo fur secutus est; inquirat in vitae genus, quod fur profitetur; dispiicit de consuetudine et, ut ita dicam, de iure singulare conditionis furis. In meam qualemcumque sententiam descendentes conspicio HOMMELIUM all. diff. §. 15. et Tr. de rat. confer. torment. ex tort. §. 4. in not. BOEHMERUM ad Carpzovium qu. 79. obs. 1. et Elem. Jurispr. crim. Sect. 2. §. 160. not. 2. et HEIMBURGIUM §. 44. Nec est, quod nodum in seirpo quaeramus et cum quibusdam quaestiones in auxilium voceamus aut alia aequa mendacia probandi media, praecipue hodie, cum peraeque humanitatis studium genus humanum a tormentorum timore exemit et recta ratio.

Aliter indicamus de milite, aut quo quis alio, neque ex muneric ratione neque peragendi negotii causa armato, furtum faciente. Iste scilicet prober contrarium, aut furis in sensu iuris armati iustum poenam luat. Nec eum istius furum generis ab armati poena eximendum arbitror, qui suae defensionis causa, ne vel in flagranti correptus carceri mancipetur et poenae, aut vapulet aut quaslibet alias a laelis inferendas iniurias patiatur, se armatum ad furtum descendisse inficiari non contendit, aut ipso comprehensus est in defensionis actu; qua in re minus difficulti mecum sentiunt HOMMELIUS diff. all. §. 15. et BOEHMER ad Carpz. l. c. Armatum deinde pronuncio furem, qui furando, et si non nocuerit, arma consueta ad nocendum habuerit parata; ideoque militem, quantumvis custodem et vigilem, gladium vagina eductum manibus tenentem in furto comprehendendum, aut rusticum hominem cultrum plicatilem apertum manibus geren-

gerentem, in furto faciendo inuentum, punimus iure  
et lege furum armatorum.

§. 9.

Deficientis in fure, qui in armis periculis invenitur, intentionis praesumtio, quae, vii diximus, ex armis colligitur regulariter contraria, itidem ex variis circumstantiis actu concurrentibus descendit, furi vitilis. Sic intentionem nocendi in fure adfuisse negamus, 1) quando fur superuenientibus hominibus armis non resistit; 2) armis non vtens, quamvis resistere posset, subito in fugam se dat; 3) in locis non habitatis, salito more armatus, furtum facit.

1. Fur, armis non resistens, istis negatiuis factis, se nocere noluisse, clare demonstrat, quamobrem prae sumptionis bonitatis, quatenus illico eius facto inesse potest, pro eo benigna militar argumentatio. Adserit HEIMBURGIUS all. diff. §. 24.

2. Fuga furis armis instructi iudicem, ut rationem fugae inuestiget, adhortatur. Qui vim defendentis laesi, sit armata vel non, suis viribus putat vel experitur maiorem, prae sumptione, sub alia circumstantiarum conditione se et aliter habiturum fuisse, defenditur. Vis externa maior delinquentem repellens excusationem furis excludit, et fur armifer, propter vim maiorem desistens, armatus prae sumitur. Ex vi minore remouente, furem se internis persuasionibus, ne armis vtatur, commotum fuisse, et arma in detrimentum alterius se defendendi causa non adportata a fure, argumentamur. Demonstrat autem vim minorem defectus armorum aduersarii cum corporali coniunctus defendantis imbecillitate. Ita facile iudicamus de magno fontium, qui in turba sunt, numero, qui eorum, qui se defendunt, numerum longe superat; et similibus. His prae missis, quis erroris non conuinceret HEIMBURGIUM all. diff. §. 22. furem, armis non adhibitis fugientem,

tem, armiferum, sine ulla restrictione et ratione plene armatum appellantem?

3. Is, qui aedificia deserta armis instructus furandi animo oppugnat, nullum indicat personam laeden-  
di animum, cum nemo adsit, cui nocere possit.  
Sint autem semper et absque dubio habitatoribus  
vacua. Absentia enim habitantium, penes quos  
est, prout lubet, redeundi facultas, nullam excu-  
fationis causam spongi offert. Consentunt STRUBEN,  
in den rechtlichen Bedenken, nr. 80. §. 4. BOEH-  
MERUS in Elem. iurispr. crim. Sect. 2. §. 174. et  
QUISTORP in den Grundsäcken des peini. Rechts,  
§. 351. Dissentit autem ex insufficienti ratione so-  
dēn diss. de furto qualificato.

§. 10.

Fur in loco furti arma inuenisse, saepius ait,  
cuius rei, si probare queat, non vna est in loco no-  
stro auctoritas.

Legis Carolinae et eius art. 159. dispositio per-  
clara videtur; pronunciat enim diuus Legislator: so-  
aber ehn dieb jemanbts inn sein Behausung mit  
wassen zum stelen eingeht etc. ex quibus sequitur,  
furem pro armato haberi non posse, qui armis  
non adlatis inuadit, sed inuentis in loco furti.  
Sic ratiocinatur HOMMELIUS all. diss. §. 16. cui  
LEYSERUS Sp. 536. med. 13. adsentit. Sed eorum  
interpretatio grammatica legis sensum nimis an-  
gustum efficit. Eadem ratione nec fur nuncupari  
posset armatus, qui in armis ascendit, quia non inua-  
dit. Pari modo HEIMBURGIO adsentire nequeo, qui  
diss. all. §. 48. et 51. sine ulla restrictione contra-  
riam defendit partem. Mea ex sententia, 1. Fur,  
arma in loco furti pro re furtiva capiens, nec iis vel  
ad defendendum vel laedendum vtens, armatus non  
censetur. Nulla etenim laedendi intentio tribui pot-  
est rapienti modo, ut deportet et lucrum faciat.

2. Fur,

2. Fur, armis, in loco furti inuentis, ante delicti perpetrationem se cingens, in sensu juris plene se reddit armatum, nam, ut noceat, in promtu est, et ex libera se armat / deliberatione. Multo minus excusat, qui, licet armis ipsis se defendens, sit usus inuentis, quod quoque et BOEHMERUS ad Carpz. l. c, et QUISTORP l. c. inculcant.

3. Fingas denique furem arma prius non videntem, quam furto laesi e somno excitantur et simul armata manu in furem ruunt, qui, fugiens quidem, vias inuenit praeclusas. Morti vel apprehensioni proximus gladium, quem modo conspicit, arreptum in ingredientes minatur, et fugit. Quid tunc? Si in loco furti arma adesse sciuit, quibus in summa se defendere possit necessitate constitutus, et ideo furandi animo inermis venit, armatus nihilominus censetur, nam intentione nocendi non vacabat. Si vero arma noxia mere arripuit ex insperato, omni caret deliberatione et intentione, solum se in fuga defensurus putatur, et armatis furibus hinc non connumatur; quod concedit BOEHMER ad C.C. art. 159. §. 7.

#### §. 11.

Animus nocendi, cum, ut patet ex praemissis, in fure, ut sensu iuris armatus sit, necessario requiritur; quis est, inuasionem armatam ioci causa factam ab amico in amici bona, vel inter personas sibi vice versa notas, furem armatum non facere, qui dubitet? Adebat petulantia, non dolus, (l. 2. §. 8. ff. vi bonor. rapt. et de turba.) adebat animus terrendo ludificandi, minime vero nocendi. Consentiunt et omnes, veluti Joh. Casp. HEIMBURG diss. all. §. 25. KRESS l. all. §. 2. nr. 2. TABOR racem. crim. ad l. 77. ff. de furtis pag. 133. HUNNIUS ad Treutl. Vol. post. Disp. 30. qu. 5. Praesumitur attamen furandi animus et nocendi, nisi probetur contrarium. Conf. KRESS l. c.

#### §. 12.

## §. 12.

Transeamus, absoluta furis armati descriptione, ad id, quod iustum est circa furem armatum. Bipartita est huius loci decisio. Res enim tangit iura modo laesi, modo iudicis, in furis armati personam. Laesus enim ius aliquale necis, ex necessaria tutela oriundum, in furem armatum habet; iudicis autem est punire eum, qui e manibus laesi effugit.

## §. 13.

De indole ac natura moderaminis inculpatae tutelae iam nihil dicam. Ab armato fure laesi summum in illum ius esse, demonstrasse sufficiat.

Multum inter Themidis sacerdotes disputatum est, an fur impune necari possit a laeso, alioue isti auxilium praestante? In eo casu, quo nullum aliud furem tenendi et bona sibi conseruandi medium reperiri potest, affirmant H. GROTIUS de iure belli et pacis, lib. 2. c. 1. §. 11. seqq.; STRUV. de vindict. priuat. c. 6. aph. 2. seqq.; HOMMEL Obs. 394. Andr. Flor. RIVINUS diss. de iure vitae et necis in furem priuato competente, Lips. 1740. HELFELDT diss. de violenta rer. nostr. defens. Jenae 1768. Dan. NETTELELAADT diss. de necessitate eiusque in iure effectu, Halae 1752. §. 20.; Jo. Gottl. KLAUBARY vero in diss. de homicidio propter defensionem bonorum commisso impuni, Erf. 1733. ius restringens, illud concedit ad bona eximii valoris et ad quamvis laesi conseruationem necessaria defendenda. Qui lege sententiam fulciunt positiva, prouocant quidem ad LL. Wisigoth. Baiuuar. et Longobardorum, cuius iuris ante-carolini vix quisquam usum defenderit. Frustra prouocant et ad Art. 150 C. C. verba: Item so eyner zu rettung eynes andern leib leben oder gut jemandt erschlecht; porro: so jemand eynen beh nechtlicher weif geuerlicher weif inn seinem Hauß findet vnd erschlecht. Haec enim clare indicant, de furto Imperatorem loqui nocturno; illa vero

vero dubitandi necessitatem producerent, nisi articuli inscriptio: hernach werden eiliche Entleibung inn gemeyn berüft die auch entschuldigung auss in tragen mögen, dubium tolleret, doceretque lectorem, Imperatorem minime de homicidio mere impuni, sed de quibusdam casibus loqui, qui modo homicidii reatum tollunt omnimode, modo vero minuunt. Allegant porro ex peregrino iure l. 3. ff. de I. et I. l. 4. §. 1. et l. 5 ff. ad L. Aquil.; l. 54. §. 2. ff. de furtis; l. 9. ff. ad L. Cornel. de sicariis et venef.; l. 3. §. 9. ff. de vi et vi armata; l. 1. C. quando liceat vnicuique sine iud. se vind.; l. 1. C. vnde vi; c. 2. et 3. X. de homicidio voluntar.; et denique ex mosaico iure, Exodi cap. 22. v. 2., quas ergo ordine excutiamus omnes.

## §. 14.

L. 3. ff. de I. et I. aperte dicens de personae tutela, de bonorum silet. Cum ea sentiunt l. 5. ff. ad L. Aquil.; l. 9. ff. ad L. Corn. de sicariis; l. 54. §. 2. ff. de furtis et l. 1. C. quando liceat vnicuique sine iud. se vind.; ergo ad armatum, minime vero ad furem simplicem, ita, ut bonorum tutelae sint, applicari possunt. Eadem ratio est l. 4. §. 1. ad L. Aquil. et c. 3. X. de homicidio, vtpote quae solo de fure loquuntur nocturno. Noctu enim, an fur armatus sit, an occidendi aut surandi animo venerit, distingui aperte nequit, et ideo, ob personae tutelam, eum necare licet. Magis obstat videntur reliquae leges. At salua vbiique est res nostra. Auctoritate l. 1. C. vnde vi, verborum: *Recte possidenti, ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatae tutelae moderatione illatam vim propulsare licet,* argumentantur quidam: diu Imperatores permisérunt ad defendendam possessionem inculpatae tutelae moderationem, ergo et furem necare simplicem. Sed errant in propositione. Moderamen tutelae et necandi ius mire differunt. Licta tutela vi absolvitur repellente vi inuadentis

dentis aequali seu proportionata. Imperatores igitur vim repellere noxiam vi quidem probant, adhibita tamen proportione, qua ratione ius furem inermem necandi non concedunt.

C. 2. X. de homicidio voluntario haec habet:  
*Si autem sine odii meditatione, te tuaque (sc. bona) liberando, interfecisti etc.; ex quibus consequi contendunt, furem, ut recuperemus rem furtivam, occidere, priuato iure, licere.* At istiusmodi furis, qui absque occisione comprehendi poterat, occisionem iure humano forte permittam, iure diuino prohiberi fatis probat poenitentiae agendae occisoris imposita necessitas. Quamuis enim absque odii meditatione occidens laicus non abscisse poenitentiam agere iubeatur, hanc poenitentiae agendae remissionem intersectorem non iure suo exigere posse, satis clare indicat vel consilium de poenitentia agenda, vel causa cessantis huius necessitatis, quae est in indulgentiae legislatoris studio, vel ratio utilitatis peractae poenitentiae, quam imago Dei, quae etiam in fure colenda est, indicat, vel necessitas poenitendi perpetuo, quae presbyterum sequitur in ista constitutum conditione furemque aut latronem occidentem. Inde satis clare constare suspicor, iuris canonici auctorem in nostro loco nouum et a romano recedens ius non constituisse, et in solius suae vitae defendendae necessitate constituto furis occidendi, qui armatus fuit, ius dedisse.

Lex denique mosaica, Exodi Cap. 22. v. 2., effrингentem furem necare quidem permittit; sequens autem versus ejusque verba ex versione Lutheri: *Ist aber die Sonne über ihn aufgegangen, so soll man das Blutgericht gehen lassen, clare docent, legem nostram de nocturno furto, quod pro armato habetur, esse accipiendam.* Vitae igitur, non bonorum defendendorum iure, furem occidere permittit Moses.

## §. 15.

Itaque deficit lex expresse saltim permittens furis non armati necem, aut pro bonorum tutela factam. Damnum igitur, quod sentit respublica ex bonorum priuatorum raptu, et quod ex ciuiis nece in ciuitatem redundat detrimentum, aequale nostrae leges non videntur iudicare. Quae cum ita sint, in partes FROMMANNI diss. de fuga §. 26. et Jac. Frid. LUDOVICI diss. an et quatenus adfectus humani in foro considerentur, §. 30. seqq., qui furem inermem, in bonorum tutelam, necare vetant, pure descenderem, nisi, quae KLAUBARTIUS all. diss. habet, diuidendam sententiam monerent, argumenta.

Fac furem, tempore famis, vietum, in conservationem familiae adhuc dormientis et aequa fame pressae destinatum, auferentem; nonne paterfamilias, sonno erectus, furem impune occidet? Puto. Finge furem, omne argentum, quod dominus, ut, inde proxima luce carceris certissimi cambialis squalorem redempturus, debitum soluat, paratum habet, contrectantem furtiuis suis manibus. Et nece furis, quamvis non armati, paupertatem suam defendendum prohibebimus dominum? Libertas est vita moralis, qua deficiente physica vere nulla est; pari passu ambulat vitaque. Guil. GROT. in Enchir. de Princ. iur. natur. c. 7. §. 5. Occidat dominus furem impune, ne moraliter pereat ipse. In hac re consentit lex generalis Borussica P. II. tit. 20. §. 522, cum lege I. C. vnde vi, et quidem merito, cum damnum auersum illato par sit.

Quod vinculo sanguinis nobis coniuncti et cuiuslibet extranei bona nece inuasorum defendere possimus, nulla expressa lege defendi quidem potest. Nec art. 150. C.C.C., ut antea in §. 13. diximus, iuste in rem vocatur. Adeo tamen naturalis obligatio, ut aliorum vitam vel bona, quantum possimus, defendamus.

PUF.

PUFFENDORFF de officio hominis et ciuis, lib. I. c. 5. §. 15. et lib. 2. c. 16. §. 11; LEYSER sp. 600. med. 16. Natura enim inter nos constituit cognationem quandam, et, cum nefas sit, hominem homini insidiari, natura obtinet, ut, quod quisque ob tutelam corporis sui et aliorum fecerit, iure fecisse existimetur; L. 3. ff. de I. et I. Sed maiore cautione opus in aliorum defensione constitutis homicidis, cum, de aliorum necessitate iudicare, difficillimum sit.

§. 16.

Sunt, qui, bona iniuroris caede iuste defendi, sineulla restrictione tuentes, ab obseruantia fori auxilium petunt, quorum ex numero QUISTORIUM l. c. §. 243. iam nomino, RIVINI et HELFELDI sestatorem. Desidero neglectam obseruantiae forensis a Viro, quem honoris causa aduoco, probationem. Una enim et altera decisio non fundat obseruantiam, eoque minus, si pronunciata e falsis principiis processerint. Expertus sum equidem contrariae sententiae Quistorianae exempla, quae nostra praxis dedit. Sic venatorem Vockium, Bischofsrodensem, ob furis nocturni, bonis cum furtiis fugientis aequet offendentis, caedem, nisi iurando, se in periculo vitae versatum fuisse, affirmaret, extraordinarie puniendum iudices Berolinenses iudicabant. Similiter iudicatorum exempla peraeque iudiciorum ferentia dabunt.

§. 17.

Redeo quasi ex diuerticulo necessario ad ipsum armatum furem, cuius ius excutiendum mihi sumus. Mortis, qua succumbit, priuatae iustitiam omnis de moderaminis inculparae tutelae doctrina docet, neque leges idem affirmantes positivae desunt. Art. C. C. C. 140. 150. l. 5. pr. ff. ad L. Aquil.; l. 9. ff. ad L. Cornel. de sicariis; l. 54. §. 2. ff. de furtis; l. 1. C. quando liceat uniuersique sine iudice se vindicare; c. 2. X. de homicidio; Exod. cap. 22. v. 2. Adsentijunt etiam

etiam praedicti iuris Doctores, quibus accedunt LEYSERUS sp. 600. med. 26. Jo. Georg. SIMON in diss. de Justit. permissa c. 2. §. 9. et in diss. de iustitia hominis circa sua membra, Jenae 1675. c. 6; ut et naturalibus principiis motus CICERO, de officiis lib. I. c. 4. dicens: *Principio generi animalium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur.* Pari iure et ex obligatione quasi naturali, ut antea dictum est, (§. 15.) furem necant armatum, domestici, consanguinei laesi, et quisque extraneus. Eorum praepromis, qui de familia sunt, occidendi ius argumento §. 2. l. de iniuriis et art. 150. C.C.C. defendimus cum LEYSERO, all. sp. m. 2. et 3.

## §. 18.

Sed itidem, armatum furem necandi iure caute vredum est. Requiritur nimirum 1. praesens periculum vitae vel sanitatis, quod 2. alio leniori modo depelli nequit secure et honeste, et 3. rei furtuae iusta possesso. Nam, qui non habet, quod perdat, eius periculo nihil est, l. 12. ff. de furtis et l. 1. C. vnde vi, quae scilicet mala fide possidentis quamlibet prohibet bonorum defensionem.

## §. 19.

Periculum vitae aut sanitatis praesens necessario requiritur, quod ex praemissis (§. 15.) iam patet; praesumitur autem e sola armorum praesentia. Constituit scilicet diuus Carolus V. C.C.C. art. 159: der mit waffen, damit er jemandt, der jm widerstandt thun wolt, verlezen mocht, zum stelen eingehet, et porro: So ist in den diebstal, der mit waffen geschicht, eyner vergewaltigung und verlezung zu besorgen. Jus romanum idem probat, et si in l. 54. §. 2. ff. de furtis legatur: *furem interdiu deprehensum non aliter occidere lex XII. tabularum permisit, quam, si telo se defendat.* Lex dicit de furto diurno, quo tempore de

vi. armorum nocendi iudicari potest et media leniora,  
quae clamor aut fuga suppeditant, deesse non solent.  
Quae rerum conditio cum in furto nocturno ad-  
esse non soleat, leges iam supra adlegatae furis no-  
cturni caedem, et si plene non armati, permittunt.  
Juris ergo occidendi ratio non in ipsa violatione, sed  
in possibilitate et metu justo, qui premit Iaesum, po-  
sita videtur. Ideo et furem, arma portantem absque  
nocendi animo, quae forma et figura, minime vero  
vitus nocua ostendit, nisi curatius inquirentibus, e.  
g. gladium e ligno constructum vel lamina non pree-  
ditum, iure interimi arbitramur. Terror enim ob-  
iectiuus armorum ex eorum figura, haud vero ex eo-  
rum incognito producitur vnu. Consenit HEIMBUR-  
GIUS all. diff. §. 70, a quo interea quoad poenam  
publicam, ob rationes, quas ipse §. 25. exhibet, dif-  
fentio. (§. 10.) Sufficit inde etiam armorum gesta-  
tio, et si fur eis forte vnu non fuisset. Conf. HOMMEL  
all. diff. §. 17. HEIMBURG §. 32. SIMON diff. de iust.  
hom. circa sua membra c. 6. §. 9. et art. C C.C. 140.  
142. et 150. §. 3. Nec identitas requiritur armo-  
rum. Omne furtum est ex iis, quae praeter opinio-  
nem contingunt laeso; furesque neque delinquendi  
animum, neque armorum, quibus vti intendunt,  
mensuram denunciare solent, ergo laeso nec tem-  
pus est, nec opportunitas, arma eligendi congrua.  
Et quid, si dominus ad manus arma congrua non ha-  
beat? Mori in honorem pertinacis cuiusdam iuris?  
Accedit, quod saepissime dimensionem arithmeticam,  
is, cui vis illata instituere ipsa natura impediatur. Nam  
et animi et corporis mutuum robur in computationem  
venit. SIMON all. diff. c. 6. §. 9. BERGER in Elect.  
crim. c. 2. mbr. 3. §. 7. CARPZOV qu. 28. nr. 27.  
Deinde omne lenius defensionis medium deficere de-  
bet, quod e. g. in clamore, fuga, furis apprehensio-  
ne pro casuum varietate esse poterit; l. 5. pr. ff. ad

B.

L.

L. Aquil.; l. 9. ff. ad L. Cornel. de sicariis etc. SIMON  
 l. c., STRUV. de vindicta priuata, c. 6. aph. 2. seq.  
 GROT. de iure B. et P. lib. 2. c. I. NETTELBLADT  
 all. diss. §. 20. Domini vero ad fugam obligationem re-  
 stringo, neque, vt fugiens bonorum rapiendorum  
 opportunitatem improbo faciat, contendō. Natu-  
 rali iure, quamdiu possumus, vt nostra defendamus,  
 ducimur, et raptor sibimet ipsi imputet, quod pereat,  
 qui, rem nostram contrestaturus, arma non deiecit;  
 L. I. C. vnde vi; CICERO l. c. seq. Vim passo porro  
 non incumbit lenioris defensionis probatio. Satis est,  
 probasse furis armaturam, vitae sanitatisque praesen-  
 tis periculi prae sumptionem iustam procreantem. Qua-  
 propter scientem furis et armati aduentum, illum-  
 que cum sociorum caterua exspectantem dominum,  
 qui furem et suis armis se defendantem occidit, ex  
 L. Corneliae de sicariis constitutione puniendum dico.

## §. 20.

Quid, si fur, arma in manu tenens, salutem  
 quaesiisset in fuga, laesusque eum vel persequens vel  
 illi obuius furem fugientem occidisset? Furem iure in via  
 vt in aedificiis occisum pronuncio. Vbi bona sua habet,  
 ibi et iura proprietarius exercere potest; et vbique iure  
 naturali ad nostra tuenda vocamur. Sed caueat sibi,  
 ne fontem arma vel bona furtiva deicientem occidat.  
 Bonis recuperatis quaestio de iis tuendis; et deiectis  
 armis de tuenda persona esse nequit. A vita igitur  
 furis abstineat, nisi poenam homicidii velit luere.  
 §. 14. et H. GROT. de iure B. et P. l. 2. c. 1. §. 11.  
 13. Interea a regula aberrans furemque incaute et  
 extra iuris tutelam necans, indulgentiam iudicis me-  
 rito exspectat, et non poena homicidii ordinaria, sed  
 extraordinaria, pro facti differentia adficitur. HOM-  
 MEL Rhaps. Obsl. 394; CARPZOV qu. 32; LEYSER  
 sp. 601. m. 19; Lex generalis Borussica l. c. §. 24.

## §. 21.

## §. 21.

Furis ergo armati caedes excusationem dominus tantum habet, qui furem vel ipso in contrectationis actu, vel in fuga cum bonis furtiuis comprehensum interimit. Rem per se apertam dico. Postea enim furis caedes vindictae indolem nanciscitur, quae nullo iure, nisi affectuum grauitate excusatur. Jo. Ge. SIMON Not. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 2. nr. 1.

## §. 22.

Ad alteram loci nostri sectionem, quae circa animaduersionis in furem armatum publicae statuendae ius versatur, nos conuertimus.

Furtum ipsum, furtiuia rei alienae contrectatio, qua fur armatus delinquit, *furtum* dicitur *armatum* et praecipua species furti qualificati seu periculosi est, quod diuus Imperator Art. 159. C. C. C. a furto simplici feceruit. Plerique hanc furti speciem inter delicta publica, quamvis immerito connumerant. Vis publica enim et furtum armatum mire differunt, cum illud crimen et sine armis, hoc autem sola armata manus committi possit. Vis publica quodammodo securitatem mere publicam; hoc securitatem priuatam et domesticam laedit, nec Romani illud in iudicio mere publico, sed post accusationem laesi factam, extraordinarie puniebant; l. vlt. ff. de furtis. Errat adeo HEIMBURGIUS all. diff. §. 6, qui delictum furti armati in sensu iuris romani publicum nuncupat. Cum nobis omnia crimina, ob reprobata a maioribus nostris publicorum et priuatorum iudiciorum distinctionem, sint publica, huius disputationis dignitas exolevit. Car. Theoph. GRAUN d. supervac. delict. diuif. in publica et priuata moribus nostris. Jen. 1756.

## §. 23.

Maiore veri specie furtum armatum rapinae speciem dixerit quispiam, dum rem mobilem iuuto et vi in erueniente, armis illata vel minata, domino con-

B 2

cuso,

cusso, lucri causa, fur armatus contrectet; a rapina tamen, ut alias differentiae notas, de quibus infra dispuo, iam supprimam, furtum armatum generaliter eo distinguitur, quod in rapina solae non sufficiunt minae et concussionis symbola. Rapinam, sive bonorum vi raptorum iniuriam, olim Romanos priuatum etiam habuisse delictum, quod deinde Imperatores et extra ordinem punire iusserunt, notum est quidem, monuisse tamen sufficit, solam rem mobilem furti armati obiectum constituere. Violenta immobilis rei occupatio aut in crimen fractae pacis publicae aue σπονδελισμον Arabum degenerat; l. 9. ff. de extraord. crim.

### §. 24.

Romani, qui felices liberam rempublicam videbunt, omne furtum delictum mere priuatum iudicabant et furem ciuiliter vel furti actione vel condicione furriua proposita persequebantur. Erat subtile quoddam discrimen inter furti actionem et condicitionem furtiuam, et in eo conspicuum, quod illa infamareret, non aequa haec, quamvis neutra directa daretur nisi dominis, illa quiritariis, haec jure gentium; l. 14. §. 16. ff. de furtis. Post iuris ciuilis et gentium exaequationem discrimen vtriusque remedii in effectibus situm conspicimus, ut late docet Reinh. BACHOVIVS ab Echt cum in not. ad Treutlerum disp. XXX. thes. 3. tum in tractatu de actionibus, disp. 4. thes. 20-23. et disp. 5. thes. 16. Condictio rem, actio poenam persequebatur; l. 7. §. 1. ff. de condic. furtiuia, et denique sicut furtiuia actione res peterent vere ablatas, in furti iudicium veniebant et res non ablatae; l. 21. §. 10. ff. de furtis. Vtraque vero rei furriuae petitio, et actio et condicatio, contra heredes dabatur et non praeparata rei persecutoria, poenalis non nisi praeparata; l. 1. ff. de privatis delictis. Poena furti olim

olim priuata et indemnitatē complebat, non  
aeque, quae extra ordinem iudicabatur; l. 50. pr. ff.  
de furtis. Quod furis arma iudicii formam innouau-  
erint aut iura, ex legibus defendi nequit. Grauiora  
deinde Imperatores in fures, quos et extra ordinem  
punire iusserunt, constituerunt, furti iudicium ad  
instar publici efformantes; l. vlt. ff. de priuatis deli-  
ctis; l. vlt. ff. de furtis. Puniebant fures modo Prae-  
fectus vigilum, l. 56. §. 1. ff. de furtis, l. 3. §. 1. ff.  
de off. praef. vigil.; modo provinciarum Praesides,  
l. 13. ff. de off. praef.; nonnunquam praeter morem  
fures, inter quos et armatos numero, puniendi atro-  
cius remittebant ad Vrbi Praefectum; l. all. de off.  
praef. vigil. Fit quidem in lege mentio furis quali-  
ficati puniendi, l. 3. §. 1. ff. off. praef. vigil.; sed  
de ordinaria in furem qualificatum, sic armatum, pro-  
pria determinata poena vbique sileat. Erat enim nul-  
lius extraordinarii delicti punitio ordinaria praescri-  
pta, sed poena sentium in extraordinarium criminale  
iudicium vocatorum magistratus arbitrio relata fuit;  
l. 13. ff. de poen. Errant aperte, qui furem arma-  
tum morte apud Romanos punitum ex l. 54. §. 2. ff.  
de furti statuunt. Lex XII. tabularum, quam Caius  
allegat, solo de iure priuati in vitam et furis armat  
necem loquuntur. Fures nonnunquam capite aut mem-  
brorum abscissione punitos fuisse negari quidem, sed  
ita de iure punitos fuisse defendi nequit, nisi excepe-  
ris fures armatos, in quos hoc poenarum genus per-  
misit Nov. 134. et Auth. sed nouo iure C. de serv.  
fugit. quibus pronunciat Imperator: sed pro furto non  
moritur, nec aliquod membrum absconditur, sed ali-  
ter castigabitur. Fures autem vocantur, qui occulte  
et sine armis huiusmodi delinquent. Qui autem vio-  
lenter aggrediuntur aut cum armis aut sine armis,  
aut in domibus, aut in itineribus, aut in mari, poenis  
legalibus subiiciantur. Claris hic verbis, furem sim-  
plicem

plicem morte aut corporis mutilatione puniri prohibet, armatum autem huic poenae generi subiicit.

§. 25.

Ante Carolum V. Imperatorem, majores nostri vario poenarum genere sed citra crudelitatem in fures animaduerterunt. Silent leges antiquissimae Germanorum de poena furti armati, ceu propriae furti speciei, quamvis Saxones effringentem periculosem furem capite punire iubarent, lex Sax. Tit. 4. §. 7, et Frisones, tit. 5. c. 1, furem periculosum priuata manu necare permitterent. Alii furem modo pecunia, modo flagellis emendare, modo capitibus poena adfici iubent; Lex Angl. tit. 15, Wisigoth. lib. 8. tit. 1. et lib. 9. tit. 2, Alemannor. tit. 26. seq, Ripuariorum tit. 79. Ex medii aei iure morte maleficium suum expiabat fur, vti testatur WEHNER, sub voce: Besieben. Specul. Sax. lib. 2. art. 13. et Suevic. Cap. 14, poenam laquei constituant, quam in fures quoque pronunciasse Imperatorem Fridericum, II. Feud. 27. §. 8. legimus. Vid. Christoph. LEHMANNVM in Chronicis Spirensibus, lib. 4. c. 17, HEINECCIVM in Element. germ. lib. 2. §. 50, et Chr. Gottl. BINERVUM in Commentariis de origine et progressu legum iuriumque Germanicorum. Pacem domesticam Germani sancte coli volebant, ideoque furtum et rapinam, maxime cum inclinantis aei corrupti mores, latrocinia et rapinam agere, ne quidem nobilibus et militaribus viris indignam rem opinantes, ad haec maleficia peragenda homines inuitarent, propositis severis poenis eliminare studebant.

§. 26.

Hinc non est, quod adeo accusemus Constitutionem criminalem Carolinam in art. 159. duritiei, quae sine illa restrictione, furem armatum mortis poenae, quae in mare laquei et in femina culei est, addicit. Cum autem inter nos poena culei rarius dicitur, feminam

mina vel laqueo, more tamen feminineo, vel gladio punitur. Perrara autem est in feminis ista atrocitas, rarior animi et corporis feminae haec fortitudo, ut armata fur haberi et capite plectri possit; (§. 7. in fin.) non exclusis iis, quae ad poenam augendam vel mitigandam facere solent.

### §. 27.

Ex verbis legis et dispositionis connexu colligimus, imperatorem praecipue praecavere voluisse, ne actu furtifero vitae seu sanitati, cui furtum imminet, inferatur damnum. Audias ipsam legem: So ist im dem Diebstall, der mit waffen geschicht, eyner vergewaltigung und verlezung zu besorgen. Darum in diesem fall der mann mit den strang etc. Inde forma constitutionis, repetitionem furti, nec non qualitatem et quantitatem rei furtivae negligentis, iusta videtur. Furtum enim reiteratum simplex, sic et magnum, quod quinque solidos excedit, furto primo et parvo durius puniri alibi iubetur; furtum autem armatum capitali poena, sit primum aut tertium, siue quinque solidos aut unum assēm furatus sit maleficus, expiandum est. HEIMBURG all. diss. §. 13, Just. Henn. BOEHMER Consult, et decis. iur. Tom. 2. P. 2. dec. 1066, nullumque inuenio dissentientem. Quae poena quamuis sat grauis sit, ex iuris obseruontia augetur praeterea, si modo adsint iustae causae, quae furti maleficium spectant, e. g. eximius laeso illatus cruciatus etc. adeo ut et rotae locus esse queat.

### §. 28.

An furti consummatio necessaria, ut sors poenam patiatur capitalem? Sunt, qui negant, et in illis eminent HOMMELIUS all. diss. §. 18, qui sorem punendum pronunciat capitaliter ob solam armis nocendi intentionem, ante ablationem rei furtivae deprehensum. Opinionem hanc duram et iniustam falsa legis interpretatione logica, vi cuius, furem armatum, solum

solum ob nocendi animum et terrorem laeso illatum, tam  
graviter puniri iussisse Imperatorem, defendere nititur.  
Verbis legis: So ist eine vergewaltigung usd verlezung zu  
besorgen, male abutens, punit legislator, ratiocinatur quae  
timet, minime quae facta sunt. Ob verba: mit waffen, damit er  
jemandt verlezen nicht eingeht, armatae ingressio factum  
vnice punibile esse credit, de quo pronunciat diuus Carolus.  
Imperatorem vim facientibus poenam minari concedo, et  
punire solam armorum gestationem, et si in actualem aggressio-  
nem aut defensionem non sint adhibita, vid. BOEHMERUM ad  
Carpz. qu. 79. Quae minime tamen opitulantur HOMMELIO.  
In lege enim nostra haud disporit principaliter Imperator de  
vi armata, sed de furto, easum nominans, quo et minimum  
furtum ita euehant accedentes circumstantiae, ut pro magno  
habeatur et eius poena augeatur. Ipse etiam verborum nexus,  
legislatores armariū ingressum cum furto absolute coniunctum  
cogitasse, lucide docet. Dicit enim, furtum sit primum,  
vel iteratum, magnum vel parvum, manifestum vel nos. ac-  
cedentibus armis, pro mere dolo et periculo habendum  
esse. Semper et perpetuo furti requirit existentiam, licet mi-  
nimi. Clarius loquitur in sequentibus: So ist in dem dieb-  
stall, so mit waffen geschicht, eyner vergewaltigung zu besor-  
gen. Inuit furtum, vere factum; de ingressu tacens, de  
furto pronunciat, et id pro legis principali obiecto habuisse,  
non dubitandus est. Ad plenariam, quo pērgo, furti  
substantiam necesse est, ut consummatum sit, quod omnes con-  
cedunt; inchoati poena mitior. Idem de furto valet armato.  
Sons, furto desistens, depulsus aut delicto non perpetrato de-  
prehensus, mitigatam poenam luit, et si semper ista atrociorem,  
qua fures simplices afficiuntur; quod ipsius ex legis fine,  
de poenam mitigandi modo disponentis, apparet. Ac-  
cedunt ad me HELMBURGIUS sll. diss. §. 11, suppressis tamen  
rationibus; KOCHIUS Inst. iur. crim. §. 195; Aug. ERN. ROM.  
HEMMANN diss. an poena capitalis in attent. furto qualificatio  
locum habeat? Erf. 1776; FÜTTMANN V. Cl. Aduers. iur.  
vniuers. lib. 2. cap. 23. Omnia furtis, cuiusvis sint gene-  
ris, esse communia, credo, nisi lex expressam, ad speciem  
furti pertinentem iubeat exceptionem. Ideo, analogiae les-  
gis auditoriae, in furto armato puniendo, restitutioni rei  
furtiue mitigandi vim denego. Qualificatur enim haec fur-  
ti species armorum gestatione, minime vero damno laesi,  
ut in aliis furti speciebus contingit. Poena lege dictata non  
ob laesionem internam, sed externi facti ex causa aggrauata  
est.

est, ergo ob restitutionem damni mitigari non potest. Confentit HEIMBURGIUS §. 13.

Sunt et alii, qui, cupiditate mitigandi poenam seducti, viam iustum relinquunt, ex quibus Zirizium noto, qui ad Art. 155. C. C. e verbis: oder sunst, nach gelegenheit der personen, dignitatem externam et statum ciuilem furis adspiciendum esse, concludit; cum tamen istis Imperator ad solas mitigandi rationes communes iudicem remissione videatur. QUISTORPIUS hanc opinionem Zirizii l. all. §. 358. refutans, fibi met ipsi contradixit, qui nobiles, nisi grauiori atrocitate facta eorum criminosa adgrauentur, poena laquei immunes et gladio puniendos (not. sub lit. h.) iudicat, atque, nescio quam, obseruantiae auctoritatem allegat. Sed vbinam viget adhuc ista furi nobili fauens obseruantia? Nostrum criminale forum saltim non sectatur illud Germanorum: Die fleinen Diebe henkt man an den Galgen, vor den groben ziehet man den Hut ab, in cuius vituperationem iam Lipsius ad Senec. Epist. 87. quoddam allegauit οξυμοροφος: Paruos fures in compedibus, magnos in purpura spectari.

§. 29.

Quid autem, si fugiens aequa et armis pugnans tremque furtiuam portans fur arripiatur vi maiori? Lege tenetur secundum principia, quae de quolibet furto valent. Sufficit, rem furtiuam ex custodia laesi esse motam, eti in furis latebras nondum sit deportata. Furis enim nomine illum contineri negans, fures vagos, contrectatores, nundinis peras et crumenas furtive expilantes, in continentis deprehensoris vix puniret. Idem sentiunt KOCHIUS l. c. §. 182., QUISTORPIUS §. 342. multique alii; verum nec desunt, qui contrariaam tuentur sententiam. Struben rechtl. Bedenken nr. 87. 91. Meister rechtl. Erkenntnisse peini. Falle, P. 1. dec. 7. nr. 32. CARPOV qu. 88. nr. 5. PUFFENDORFF princ. crim. c. 25. nr. 48. Quin eos sequar, faciunt Art. C. C. 158. et 167. Punitur fur manifestus, eti furtiu bona in domos suas non deportauerit. In segetum furto amotio iam sufficit, neque domum deportatio rerum furtuarum requiritur, quod verba legis: hinwegträcht oder fähret, porro: wo einer jemandts an berürtten seinen früchten, die er heymlich nem vnd hinweg trug, großen merklichen und geuerlichen schaden thett, ist auch wie obsteht für eyn diebstall zu strafen, liquido innunt. Hic aperte, me quidem iudice, lex sententiam prodit et furtum sola amotione e laesi custodia et possessione consummatum habet, et praecipue laesione obiectiuam in furto puniendam esse, emendato sermone inculcat. Quibus mo-

tus

tus statuo, quod res furtiva, vel a fure deprehenso vel se defendantem derelicta, aut extra laesi domum et custodiam inuenta a fure amota maleficii indolem non mutet.

## §. 30.

Fingas furem metu aut vi coactum rem furtivam in ipsis adhuc laesi aedificiis deiicientem, et in fuga salutem quaerentem. Quid statuendum de deprehensio, in fuga armis se defendantem? Occidens tenetur de homicidio; vulnerans de corporis laesione, et semper in re illicita versatus qui est, de iniuriis; minime vero furti qualificati luit poenam ordinariam, sed inchoati extraordinarium. Errauerunt adeo, qui Senatui Doebelensi fuerunt auctores, ut furem furto non consummato fugientem et armis contra persequentes se defendantem, ad poenam furti armati ordinariam, suspendit scilicet, subeundam condemnaret, quod HOMMELIUS all. diss. §. 18. testatur. Male ex facti vnius decisione, peius ex errore, qualis fuit ista Doebelensem, obseruantia fori formatur. Demiremur, an doleamus, hanc, qua haud paucos, qui iurisdictioni praefunt, laborare videoas, facilitem?

## §. 31.

Furandi animo accessit armatus, sepositis armis aedes intrat inermis, inermisque res contricitat, spolioque onustus recedit, et, quae parata reliquit, recipit arma, ut fugam armatus muniat. Iuste laesus persequitur deportantem rem furtivam, et quisquis sua bona defendit iure, ubi illa inuenit. Si rem furtivam non deiiciat fur, et potius, lucri retinendi causa, armis vtatur, fur habetur armatus et iure punitur. Insistit enim animo laedendi, et hoc est, quod leges in primis puniunt in fure armato. Dissident quidem KOCHIUS §. 194; BOEHMERUS ad Carpz. l. c.; QUISTORPIUS §. 351, quibus vero supra satisfecisse arbitror. Cuius rei et hoc anno a Regimine Magdeburgico iudicatae exemplum exhibent acta, quae inquirentis iudicis munere defungens conscripti et iudicanda ex officii mei publici ratione obtuli. Ioannes Andreas Kunzius quidam, pluribus sociis stipatus, ut furtum facheret, aedes alienas ingreditur. In itinere baculum, quem habet, nodosum ferreisque circalis munitum extra furti faciendi locum ita seponit, ut ex furto reduci praesto sit, fugam defensuro. Vere et actu hoc telo non usus est maleficus. Armatum nihilominus Tribunal Ducatus Magdeburgici criminale Kunzium iudicauit, ob nonusum vero baculi qui instar teli fuit, et alias, quae adfuerunt, iustas poenam miti-

mitigandi causas, istum Kunzium extra ordinem poenae operarum publicorum in vinculis per integrum quadriennium praefundarum subiecit.

§. 32.

Fur porro fugiens rem furtiuam deiicit; insequens vero dominus abiectas res non recipit, sed furem, ut illum comprehensum iudici tradat, persequi instat. Ne apprehendatur, iste armis, quae ad hunc specialem casum parata habuit, se defendit. Furem, armati furti lege non teneri statuo. Debet enim ab initio omnis laedendi animus, quem leges requirunt. Penes consequentem erat, rem ablatam, absque vila molestia, recipere. Sibi imputet ipsi dominus, qui, limites naturalis iuris excedens, salutis et securitatis publicae studio arreptus, furem longius consequens vitae periculum sibi contrahit ex armati fugientis furis defensione. Teneatur interea fur de delicto, quod defensio armata peperit, neque excusat naturali vitam et personam defendendi studii iure, utpote qui ab initio in re illicita versabatur.

§. 33.

Furtum armatum simplex habetur ob armorum gestationis plena probationis defectum. Cuius corporis delicti certitudinem sola vero rei confessio, maxime quae tormentis extorta, non adstruit, qua in re humanitatis studiosum HEIMBURGIUM in all. diss. §. 35. mecum sentientem video. Eam vero malefici confessionem sufficere putaverim, quam socii delicti, confessionis auctoris ignari, confirmant. Hic enim omnimode earumdem idearum concursus, quem errorem esse, nullo iure praesumi potest, fidem iudicis roborat et firmat.

§. 34.

Armatus fur, qui inermis quolibet modo lege excusat, poenam exspectet, quam Constitutio nostra criminalis in fine art. 159. mitiorem ordinavit. Substituant autem nostri indices, auctoritate verborum: und ermessung des richters inn ander weg et oder einer andern dergleichen schweren leibesstraff, alias, quae magis idoneae creduntur, corporales poenas aut libertatem restringentes. Effossio oculorum et manus amputatio aut aliae corporis mutilationes diu visu fori humanioris Germaniae exoleuerunt. Fustigatio, opus publicum et ergastuli aliqua istis similis poena in correctionem, si qua sperari queat, hominis decerni solet. Vide, quotquot ad Art. 159. C. C. C. commentati sunt, idem statuentes.

§. 35.

## §. 35.

Furti armati societas, cum ut aliorum criminum, speciatim furtorum, communio contrahatur, ita et ex eadem lege punienda videtur. In surum tamen armatorum sociis et adiutoribus puniendis grauiorem et obseruaniam et DD. opinionem, quam et quorundam Germaniae territoriorum leges provinciales approbant, inuenies. Volunt enim omnes, qui ad manum seu turbam armatorum furum pertinent, poena laquei ordinaria puniri, qui aliquam operam praestiterunt furi armato, etiā ipsi nec armis instruti fuerint, aut armati illis non vti. Approbat hanc grauem sententiam Edict. Elect. Saxon. de 1753, wegen der Räuberbanden, quod ad Edicta de 1710. vsque ad 1719, wegen geschändet Exequitungen der Räuber und Diebe, prouocat. Hac lege moti, regulam, ut socius inermis aequa vt armatus auctor puniaur, generalem pronunciauerunt HOMMELIUS all. diss. §. 24; HEIMBURGIUS all. diss. §. 62; CARRACH in rech. l. Urtheilen und Gutachten in peinl. Sachen nr. 6. et 78. Conf. etiam WERNHERUS Obs. select. p. 3. obs. 161, et KOCH c. I. §. 194. Hanc qui sententiam amplectuntur, socios, qui scalam, qua fur armatus ascendit, seruarunt, qui excubiis functi, qui furti communionem sibi stipulati sunt, qui, lucri causa, furi armato receptaculum promiserunt, quiue alio modo cum fure armato societatem iniere delicii, laqueo puniendos esse omnes, contendunt.

## §. 36.

Evidem sententiam diuidendam arbitror.

Armata qui manu excubias egerunt, aut qui armati quacumque vi, quamvis sine armis facta, in auxilium laesi dominii venientes cohibuerunt, aut qui, ut furtum ab armato fieret, furi autores suasoresque fuerunt, aut qui furi inermi arma exhibuerunt, seque ut armaret, consilio et persuasione effecerunt, hos omnes, absque haesitatione, ordinariae laquei poenae subiiciendos censeo. Ipsi enim vel armati erant, vel censentur, cum eorum ope et consilio arma adhibita sunt. Qua in re calculum obtinui legis generalis Borussicae I. c. §. 1216. seqq. Horum numero qui non continentur, aequiore et mitiore iure iudicandos puto. Quo iure enim, aut quo humanitatis ac aequitatis colore adiutorem inermem, quo in seio aut invito, auctor criminis arma sumbit ac poenae ordinariae laquei iustum periculum contrahit, suffocationis poena dignum iudicabimus? Intercedit et recta ratio. Nolenti et ignaro aliena facta impunari non possunt, et ideo socii isti solius furti simplicis, cuius conscientiam habuerunt, et in quod perpetran-

petrandum consenserunt, lege poenaque tenentur. HOMMELIO l. c., qui plane a me dissentit, oppono, qui mea probat, HEIMBURGIUM in all. diff. §. 66. et 67. Ut ergo furis armati locius ordinaria, faucium scilicet compressionis, poena afficiatur, scientem volentemque iniisse criminis cum armato fure societatem, absolute requiritur. Quando haec a sciente et volente inita cum fure armato societas probari non potuerit, socius furis armati extra ordinem, ad instar socii furis simplicis, puniendus erit. Mecum consentit HOMMELIUS filius in Rhapls. Obs. 296, et, nisi fallor, juris analogia. Doctorum enim senatus et obseruantia tori furti magni socios magni furti poenae ordinariae obnoxios non iudicat, nisi tantum receperint ex furto, quantum desiderant ad furti magni legalem quantitatem. Kress. ad Art. 177. C. C. §. 1. nr. 4. BRUNNEMANN ad L. 21. de furti. Hinc colligo, conuidos requiri de eo, quod delictum atrocius et grauius reddit, quos poenae eius absque vlla mitigatione subiicis. Haec sunt, quae mouent, ut socium furis armati poena armati furti ordinaria plecti posse negem, nisi actuale factum eius acceperit, aut socius, reliquos armatos esse, vel sciuerit, vel armorum usum concederit.

### §. 37.

Equidem furti armati, ut omnium delictorum non exceptorum, poenam viginti annorum praescriptione deleri et expirare, nota res est. Ius attamen prouinciale Austriae inferioris et Comitatus Tyroleensis hanc praescriptionem, ad instar singularis exceptionis, furto qualificato tribuit. Fursum enim simplex, harum prouinciarum iure, in eo exceptum habetur, quod decennii lapsu extinguitur a); noua vero criminalis Austriae Constitutio omnem praescriptionis tutelam maleficis adimens et furii armati poenam praescriptione exringui eo ipso vetat b).

a) Nieder-Oesterr. Landesordn. P. 1. art. 13. Tyrol. Landesger.

Ordn. P. 1. art. 43. Joh. Rud. Engau von der Verjährung in peinlichen Fällen, Jena 1750. §. 74.

b) Allgem. Gesetzbuch über Verbrechen und deren Bestrafung, Wien 1787. P. 1. C. 7. §. 18;

### §. 38.

Quoad obligationem ciuilem furtum armatum a simplici non differt. Fur armatus ad rem furtiuam restituendam et ad omnem indemnitatem praestandam optimo maximo iure tenetur.

### §. 39.

Iam proprius de fure armato ex iure Provinciae nostrae puniendo dispiciamus,

Fri-

Friderici II. epistola de 27. Jul. 1743, furem quidem morte punire prohibet, nisi homicidium accedat, ex quo colligere posse videmur, solam armorum gestationem laquei poenam non sequi. Propositis tamen specialissimis de 8. April. 1750. et 17. Jan. 1751. Editis constituit, fures, qui effringentes aedes, ut furtum facerent, aut atrocius tractantes vincitos, quos spoliarunt, dominos, aut cateruatim furantes, aut quacunque vi maiori in furto faciendo grassantes, maiorem improbatatem ostendant, ex hac causa vel faucium compressione in patibulo, vel datione in publicum opus perpetua aut temporaria plectendos esse; iubens, ut hac in re magistratus sui animi motum sequatur. Nouissimus juris nostri Codex P. 2. tit. 10. furem armatum, qui armis non usus est, (§. 1175.) operi publico faciendo ergastulo conclusum addicit, cum coercitione corporali, quam recipiendus et dimitterendus patiatur, eumque in ergastulo emendare iuber, cuius temporis quantitate iudex ita statuat, ut, nisi singulares rationes flagitent, quinquennium non excedat; qualis exasperandi causa est in fure armato, armis vero non utente, postas publicas spoliante, qui scilicet ad octennium ergastulo mancipari potest. (§. 1180.) Ob concursum delictorum, aut furti violenti reiterationem, exasperanda est poena. (§. 1187. seq.) Qui vulnerat armis, silente lege, vi §. 1189. seq. analogiae, decennali opere publico in castellis, quod ad vitae tempus extendi potest, puniatur. Vulneratio letalis, et si mors non secuta sit, (§. 491. seq.) gladio, et homicidium cum furto coniunctum poena rotae simplici puniatur. Qui, in fuga se defendens, persequentem necat, gladio perimitur. De re furtiva ante defensionem resoluta lex tacet. Furum ceteruae ducem (§. 1210.) laqueo punit, et reliquorum in turba delinquentium poena corporalis aggrauata est.

## §. 40.

Constitutio Austriaca, quam Josephus II. anno 1787. promulgavit, P. 1. §. 165. furem armatum pro varietate circumstantiarum puniri, carcere duriori vel leniori, longiori modo, modo brevioris temporis, cum vinculis et castigatione coniuncto, vel non, in poenam constituto. Socii poenam constituit ubique mitigatam. Lex ista omnem de furto locum plene non persequitur, attamen non silet, ut plures aliae, de furto armato, quod in aedificiis, inhabitatoribus vacuis, perpetratum est.

Tantum.





Kp 4480

g





CHRIST. IVL. LVDOV. STELZERI

**I C T I H A L E N S I S**

COMMENTATIO  
DE  
FVRIBVS ARMATIS.



1910.8.35

## H A L A F

LITTERIS FRIDER. WILH. HYNDTIL.

1792

Kp. 4480